

percolabatur, afferit, quām ex priore calculo perceperat. Nec remoueri nouum hoc malum aliter potuit, quām noua vesicæ incisione. Iam enim calculus magnitudinem, cuius hīc picturam damus, contraxerat. Quod cum factum per peritum quendam & exercitatum artificem, & lapis denuò exemptus esset, plaga rectè coaluit, puer ipse alacer & ad quæuis expeditus, nulla amplius molestia, nulla difficultate premitur aut infestatur.

Anno 1558. cum Hispaniarum rex Philippus regi Galliæ bellum intulisset, duo nobiles ex Marchia qui eius militiæ socij erant, & stipendia sub rege Philippo merebāt, cum iam in itinere cum alijs compluribus essent, fortè fortuna coorta inter ipsos dissensione cōgrediuntur. In quo certamineis, cui à Kalckreut nomen est, alterum Conradum à Bernheim infestissimè adoriens bombardæ iectu petit. Verùm globus crumenæ lamina

Cc 4